



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

2. Osores hominum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

Est enim vultus plerumque index mentis, & lineamenta corporis argumenta animi; liberalis & honesta facies, liberalem & honestum arguit animum, prava pravum. Qualis in Zoilo primo apparebat, à quo deinde formam corporis, animique traxere nepotes.

II. (b) Ad Momos & Zoilos aggregandus est *Timon*, Atheniensis ortu, cognomento *μισάνθρωπος*, seu, *hominum osor*. Hic omnibus invadebat, actiones omnium arrodebat, nullorum hominum homo; hominum vestigia quoque vitans; soli Alcibiadi adolescenti familiaris; quod mirantibus, causamque rogantibus, respondebat: Hic adolescens Atheniensibus suo tempore ingens conflagit malum. Ejus epitaphium hoc fuit: *Hic sum post vitam miseram, inopemque sepultus: Nomen ne queras: Dii, lector, te male perdant.* Arborem in suo horto consitam habebat, quam erat succisurus, idcirco prius evulgari voluit: arborem sibi esse, in qua se aliquot miserorum hominum suspenderint. Nunc illam esse succidendam, ideoque properandum illi, qui sui in ea suspendium cogitaret. Digni me hercule homuli, qui, quod nominatus epigrammatarius imprecatur cuidam:

Omnibus invadeas, Navole nemo tibi.

Alienæ felicitatis invidia torqueantur; ipsi verò desperatione meliorum, ringantur ut canes, & cum malè facere non queant, malè dicendi libidine acerbent vitam.

III. (c) Prudentissime monet poëta:

Loripedem rectus derideat, æthiopem albus.

Adagione teritur: *longo, vel adunco suspendere naso.* Sed aliud est nasatum, aliud nasutum esse. Irridet Martialis Tongilianum quendam, qui ob carpenti licentiam videbatur sibi nasutissimus; cum tamen penitus à judicio aberrarit, totusque à suomet ipse naso suspensus fuerit:

Tongilianus habet nasum scio: non nego; sed jam

Nil præter nasum Tongilianus habet. lib. 12.

Erat enim homini nasus æquò porrectior; & qui censorie judicabat alios, ipsi suus ludibrio fuit nasus. In eodem libro exagitat alium, qui nimis uncis indulgebat naribus, & nasum habebat,

Quantum noluerit ferre rogatus Atlas.

Non ideò tamen emunctæ naris erat, etsi nasonem se posset dicere. Imò illi quoque, qui nasum cubito tergunt, censoriam sibi dicitatem arrogant. Eodem poëta teste:

Et pueri nasum Rhinocerotis habent.

O o o o z

Aut

(b) Osor hominum. (c) Censores aliorum.